

F.R. 65.

21

14,9

Z d
5595

V 489 502 X

FATA AMICITIÆ
VIRI
OMNI DOCTRINA SAPIENTIAQ.
EMINENTISSIMI

T H O M Æ
REINESII
CONSCRIPTA

EIDEMQVE
IN QVINTA ONOMASTHPIQN
CELEBRATIONE LIPSIENSI
D. XXI. DECEMBR. M. DC. LXV.
OBLATA

à
FRIDERICO BRUMMERO
J. U. C.

TYPIS JOHANNIS WITTIGAU.



FATA AMICITIAE

VIRI

OMNI DOCTRINA SAPIENTIAQ.
EMINENTISSIMI

T H O M A E

R E I N E S I I

CONSCRIPTA

EIDEMQUE

IN QUINTA ONOMAZTHION

CELEBRATIONE LIPSIENTI

D. XXI. DECEMBER. M. DC. LXXV.

OBATA

FRIDERICO BRUNNEMERO

J. L. C.

TYPIS JOHANNIS WITTIGAU



VIR ILLUSTRIS,

Sæpenuerò non sine summa di-
vinæ Providentiæ admiratione
cogitare soleo & memoriâ repe-
tere, hoc consuetudinis tuæ qua-
driennium à quibus carceribus, ad quas me-
tas, per quos paulatim gradus ac tramites
decurrerit. Vix dum ad aures meas præ-
textati adhuc pervenerat Sipientiæ tuæ fa-
ma, cùm incredibili Tui cognoscendi desi-
deriò incenderer. Accedebat non ita multò
pòst, ut singulari quodam fatò in tuos Va-
riarum Lectionum libros inciderem; in qui-
bus nunquam antè mihi visis, omnia profe-
ctò longè ampliora, quàm de Te aut prædi-
cata mihi essent, aut prædicari possent, inve-
niebam. Atque ex illo tempore tantus tui
amor animo meo insidere coepit, ut cre-
brioribus in dies votis admisionum tuarū
felicitatem expeteret. Sed tamen, quæ duæ
res plurimùm ad consequendam eam pote-
rant, hæ mihi ambæ tunc deficiebant. Pri-
mùm enim corporum conjunctioni obsta-
bat intervallum locorum ALTENBURGI &
LIPSIAE: quod quamlibet ex se breve & exi-
guum, mihi tamen arctioribus patriæ pote-
statis vinculis constricto grande ac propè

immensum adparebat. Nam parvulum differt, propinquum Bonum sit, quod adpetis, an longè distet, si, uti ad hoc longinquitas, ita adire volentis conditio ad illud facilem alioquin ex vicinitate accessum difficilem reddit; nisi quòd, quò propior spei fruendi fueris, hoc impatientius careas. Supererat ergò alterum, quod multis tuorum clientum & sectatorū commune est, ut hoc cultus & prensationis Tui præsentis desiderium consolari epistolis, & Tecum absente, quasi tum præsente colloqui animum inducerem. Sed me ab hoc etiam proposito vix pueritiam egressæ imbecillitatis conscientia pudore quodam justissimò conjuncta deterrebat. Omnes enim, qui eruditorum hominū amicitias ambiunt, sedulò se prius excutere, quàm illas rogant, decet, ne inertiae ac temeritatis culpam contrahant. Sic pro aperta Tui veneratione acquiescendum mihi erat in occulta: dumque cominus Te tentandi facultate deficerer, eminus Te adorandi consiliò me hætenus sustentabam. Atverò sicuti palma superinjecto pondere pressa magis magisque erigere se & confirmare nititur: similiter in illa gravi animi propè labascentis anxietate congressus tui cupi-

cupiditas maximè surgebat; credo, ut Vis
divina, quam excitaverat, gloriosè ac salu-
tariter expleret. Hæc unà erat domi: foris
euntem comitabatur: mecum pernoctabat:
simul deniq; proficiscebatur Jenam, ubi stu-
diis obsequi meis id temporis * instituerã. * A. 1660.
Quantis iterum stimulis Cultores illic tui,
Viri doctissimi, eã exacuebant? quantis cõ-
mendationibus alebant? quantis sententiis
corroborabant? planè quasi vel ob id maxi-
mè Jenam deferri me oportuisset, ut nova in
hoc stadio currèti calcaria adderètur. Bre-
vi interjectò tempore vehementioris ad-
huc incitamenti genus ab honoratissimo
& carissimo Avunculo meo Fatipotestas
Geræ mihi præparaverat. Rogabat hic
me literis, Ienâ ad se ut venirem, & statos
æstivis flatibus dies, intervalla studio-
rum, honestâ recreatione dispungerem.
Itaque cùm venientem & domò & mensâ
suâ humanissimè excepisset, fortè inter
prandendum ex aliis incidimus in sermo-
nem de Eruditorum familiaritatibus, tan-
quam solâ ratione ad fructum veræ laudis
& gloriæ perveniendi. Ab hoc ille ad me
*tibi verò, inquit, hæc ipsa superest, nec procul. Nosti, puto,
quantum literatus Orbis, quantum Altenburgum REINESIO
debe-*

debeat; ut ille studia colat, eorumq; qui aliqua componunt, portus
sinus & premium sit. Quin igitur expergiscere, experire inge-
nium, specimine profectuum fores VIRI pulsa. Non votis paranda
est ejusmodi felicitas. Enitentibus contingit. Sic alii ante Te in
amicitiam ejus se insinuârunt. Quorum exempla non ad in-
tuendum magis, quàm ad imitandum Tibi proposita existimes.
Jucundius profectò nullum ante hoc pran-
dium, si sermonem, nec admirabilius, si ser-
monis eventum spectem, mihi accidisse
jure verèq; contenderim. Etenim cum ma-
gnam convivii delectationem voluptas
corporis, tum multò maximam efficit, ubi
animus simul honestissimis ad immortalita-
tis studium exhortationibus quasi dulcibus
quibusdam cibus pascitur. Vetabar interim
partim divinò consiliò, partim *δ'συχίας* ege-
state ac inopiâ, quò minùs hæc consecutu-
ræ paulò post felicitatis præludia intellige-
rem; similis dramatum spectatoribus, qui ex
mutis histrionum immotisque spectaculis,
quibus fortuna singulorū actuum repræsen-
tatur, vivas eorum voces & facta interpre-
tari nequeunt; ac proinde illuc, unde vene-
ram, reversus, quod reliquum erat annui
temporis, studiis Jenensibus præstituti, inter
hæc stimulantia subinde mentem tui desi-
deria peragebam. Eò peractò, ecce patriam
sine ulla Tui tum conveniendi cogitatione
repe-

repetentem via ducit ALTENBURGUM, nimirum ut Fati mandata perficiat. Hic demum ardor ille tui convictus, velut suppositus cineri ignis, in flammam erumpere: ferventissimè animum sollicitare: obluentem tenuitatis meæ reputationem vincere: ad eundem Te audaciâ armare; ut, si minùs tam impatienter desideratæ conversationis fructû, at augusti conspectûs tui gloriam consequeretur. Te enim qui videt, VIR incomparabilis, omnium simul Musarum Gratiarumq; ad spectu verè potest gloriari. Confirmabat hanc audaciam meam tota Civitas Altenburgensis laude inusitatæ tuæ humanitatis, quâ prævenire soleres aditurientes, & occurrere de quacunq; re ad Sapientiam tuam confugientibus. Onerabat me prætereà exemplum istius Gaditani, qui Titi Livii nomine gloriâq; commotus ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venerat, statimque eò visò abierat. Ergò illum nec infinita penè locorum distantia, nec incredibilis viarum asperitas, quò minùs ad Livium iret, detinuit: me per exiguum & facile meatu urbis iter domû REINESII prohiberet? Illum excitavit fama Livii, multos olim, quos Roma non poterat, ad sui contem-

tēplationem perducentis: me REINESII
nomen, non solum Livio doctorum evo-
catione parisi, sed etiam propter præclara in
Livium plurimosque tam Romanos quam
Græcos scriptores merita superioris, ad sui
venerationem non raperet? Ille solò Livii
intuitu contentus abiit: ego, præter vultus
gratiam, sermone etiam REINESII fruiturus
abirem? Solent ingenuarū oblectationū
studiosi illustrium literis Virorum nomina
ac manus certò librorum genere colligere,
ut ex his quasi cimeliarcheis locupletia ad-
spectus & adloquii illorum testimonia de-
promant. Dederam eidem me studio pau-
lò antè quàm Jenâ decederem; nihil minùs
tamen cogitans, quàm illud ipsum fore, quò
adhæc cultus tui interioris sacra imbui me
& initiari oporteret. Ac tantò gloriosius
igitur in præsentem videbar id retractaturus,
quantò splendidior ei accessio per Te fieri
posset. Hic nescio tuam in admittendo me
comitatem, an in gratificando mihi prom-
ptitudinem, an in dimittendo benevolen-
tiam potioribus debeam laudibus extollere?
adeò singula se quasi ad mutuam industriæ
certamen provocabant. Neque enim tan-
quam cum ignoto tibi homine, sed ut cum
fami-

familiari nec ingrato aedibus tuis salutatore
agebas. Gaudia, quibus tunc incesfi, nec
verbis exprimi possunt, nec cogitatione
comprehendi. Videbam quippe, licet per
nebulam adhuc, vota mea curari Providen-
tia in tam suavi amicitia tua promulside:
nec mediocrem illorum fructum inde per-
cipiebam, quod tantae humanitatis tuae
pragustus literis deinceps adeundi Te li-
centiam polliceretur mihi atque confirma-
ret. Veruntamen ludit per saepe in honestis
mortalium cupiditatibus DIVINITAS: cum
locis, quos credidisses nunquam, earum ex-
plementa reservat, tanto majori audienti-
bus admirationi futura. Nisi forte hic eo
potius collineaverit, ut, ubi desiderii mei
flamma coeperat, ibi restingueretur. Non-
dum enim quadrimestri spatio a domum
reditione mea praeterlapsus audio REINESIUM
mutato ALTENBURGO migrasse ad nos LI-
PSIAM. Cujus quidem nuncii novitas quo
insperatior, hoc laetior auribus meis veri-
tas ejusdem accidebat. Procedente enim
animus, ut solet, longius, revocabar in me-
moriis eorum, quae olim, quae novissime
amore tui contigerant: usque dum posi-
tis & subductis hinc inde calculis tandem

B

summa

summa Fati emergeret. Gratulatus ergò
ante omnia Patriæ meæ de tam illustri præ-
sencia, quæ per tot annos ALTENBURGUM
beaverat: tum mihi, exoptatissimæ felicita-
ti proximo, ad nutum ductumque Numinis
me sine mora convertebam. Ac tempus
quidem erat, ut divinationis vim conse-
querentur, quæ consilii specie laudatus antè
AVUNCULUS meus quondam proposuerat.
Meditari quippe paulò ante notitiam ad-
ventûs tui coeperam aliquid, quo otii Aca-
demici ratio Parentibus constaret; & com-
modum, seu potiùs divinitùs, in mentem
mihi venerant *ισορρύθια* Scabinorum; scilicet
ut vetustis novitatem, obsoletis nitorem,
obscuris lucem daret, quæ sola poterat, eru-
ditio tua. In his igitur juvenilium cona-
tuum meditamentis ad Te tanquam præ-
sentsimum oraculum confugio: unicâ
succesuum spe in sapientissimis tuis Re-
sponsis positâ. Jamque vix ad fores tuas ve-
neram, cùm experta nuper ALTENBURGI hu-
manitas pari eas facilitate aperiret: doctri-
na verò, quæ in Te tanta est, quanta animò
fingi potest maxima, quicquid argumenti,
quod delegeram, erat arduum, quicquid in-
volutum & inaccessum, id omne mihi face-
ret

ret planum, expeditum, pervium. Nihil
tàm eximium aut reconditum in Bibliothe-
catua servabatur, quin instituto meo am-
plificando atq; illustrando liberaliter & ple-
nâ manu subministrares; donec brevi revo-
carentur ad lucē beneficiô tuô Scabini, qui
longis alioquin, ne dicam æternis sepulti te-
nebris jacuissent. Hic absolvebat tandem
mea pietas, quod primis saltem lineis in a-
moenissimo illo prandio erat designatum:
præterquam quod REINESIUM non tàm per
se sibi conciliaret, quàm per ipsum REINE-
SIUM: cum totum hoc ingenii periculū tan-
to Nomini dicatum omnem prius ab illo lu-
cem & splendorē acciperet. Ab his primi-
tiis ad hoc usq; tempus uberiorum subinde
fructuum proventu illa consuetudinis tuæ
suavitas effloruit. Sive enim in morum, sive
in studiorū meorum rationem intuear, non
possum aliter, quàm Te unū delegisse Fata,
per quem utrisque plenissimè consulere.
Multa adolescentibus blandimenta non mo-
dò natura genuit, sed objicit in dies etiam
ingeniosa in talibus excogitandis præsentis
ævi pravitas; à quibus sibi ne corroborata
quidem ætas, nedum hæc maximè lubrica
& incerta, cavéat. Et severis quidem disci-
plinis ista eludere uti summæ artis est, solisq;

ferè Sapientiæ Doctoribus relictū; ita profectò animi juvenum infirmiores multò faciliùs meliùsque vivis ad virtutum studia præceptis ducuntur. Hæc ergò suppeditant Senes optimi & perfectissimi, qui cum vitæ honestatererum divinarum humanarumq; scientiam conjunxerunt. Ad hos se adgregent, horum in sinu quasi & complexu vivāt oportet adolescentes, qui non perperam volunt discere, quod in senectute confiteri erubescunt. Quare qui mihi satis gratuler, dum, quantū temporis alii tribuunt intempestivis conviviis, quantum spectaculis, quantum otiosis sermonibus, cæterisque id genus ineruditæ voluptatibus, tantum ego tuæ, NESTOR Teutonice, dulciori melle orationi impendere possum; unde nihil nisi rectum, nisi sanctum, & quod rarissimū est, bonæ menti congruum; interiorum verò literarum gustum haurio incredibilē. Quis enim dies temerè intercedit, quò non in his aliquid mecum communices, quò non ea me doceas, quæ doceri magni etiam Viri summis à Te precibus contendunt? Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia hac tua possim comparare. Præsertim cum ad innumerabiles ejus fructus tantus

tus

tus ei novissimò tuò factò cumulus accesserit. De quo plura in præsentì dicerem, nisi & ad eloquendum verbis destituerer, & Tu beneficiorum tuorum parcissimus æstimator id malles in consciëntia reponi, quàm in fama. Certè de illo quoties cogito, toties de maximis tuis in me meritis, toties de incredibile benevolentia, toties de singulari amore tuo cogito: quid enim, quæsò, solidæ laudis ac veræ dignitatis præstantius huic homini potuisses tribuere? quid optabilius ad immortalitatem gloriæ, atque ad memoriam nominis propagandam? Hoc unò supero Crassum divitiis, omniumque vicos & prata contemno. Quod quidem tametsi non modò referendâ, sed necogitandâ quidem gratiâ possum consequi; existimavi tamen pietati meæ convenientissimum, ut saltem fidelem ejus memoriam, quæ sola apud Te plurimùm valet, hodiernò die testatiorem Tibi facerem. Etenim cum omne tempus gratæ beneficiorum recordationi, tum istud præcipuè debetur, à quo recordandi causæ descendunt. Ille verò Optimus animorum Conciliator Deus hoc admirabile tantisque bonis abundans familiaritatis tuæ curriculum novis subinde felicibusq;

busque hujus lucis auspiciis perpetuet: Ille
^{noni} octavi & septuagesimi anni tui cursum ita
secundum sine ulla offensione dirigat, ut ex
ejusdem decursu crescat felicitas annorum
sequentium: solatia & fomenta languentiū
jam literarum cōfirmentur: studia mea pro-
vehantur & inclarescant. Ego quidem certè
Tecum ero, quoad poterō; & si unà esse mi-
nùs poterō, quàm volo, animi tamen cōjun-
ctione Tui amorem & cultum ita persequar,
ut nunquam nō unà esse videar. Nulla mihi
in omni vita res tam erit proposita, quàm ut
quotidiè vehementiùs nō modò Tu ipse Te
optimè de me meritum esse lætere: sed ut o-
mnes docti, etiam ut posteritas eorū omnis
intelligat id & sentiat. Pigri enim & non fe-
rendi soli est, injecti sibi seminis copiā inji-
cientis vota frustrari, nec ullos posteris ejus,
quibus seruit, fructus ostendere. Ad sum-
mam: hanc epistolam velim existimes non
minùs foederis, quàm gratulationis nomine
scriptam: meq; omnia mea studia, omnem
operam, curam, industriam, cogitationem,
mentem deniq; omnem in eo esse fixurum,
ut hic conversationis tuæ honor, non quia
sic acciderit, ad quemcunq; delatus, sed quia
divinitus oportuerit, rectè positus & ratio-
ne collocatus esse videatur.



FK 2d 5595

WMA

MC



F.R. 65.

21

14,9

Z d
5595

FATA AMICITIA
 VIRI
 OMNI DOCTRINA SA
 EMINENTISSIMI
 T H O
 REINE
 CONSCRIP
 EIDEMQVE
 IN QVINTA ONOMA
 CELEBRATIONE LI
 D. XXI. DECEMBR. M, DC
 OBLATA
 à
 FRIDERICO BRUNN
 J. U. C.

TYPIS JOHANNIS WIT



X 205 687A